

quemquam diceret quod non sentiret, ut maxime nomine usus sit, quod id appellari solet: nam vocis minister id videtur. Resp. Speciosam quidem, sed minus stringentem esse hanc, ex legibus desumptam objectionem; quia nemo negat, verba esse indicia mentis nostrae, eaque juxta propriam significationem accipienda venire, ubi sunt clara & manifesta, & de vero illorum sensu nulla ratio dubitandi occurrat. Verum ubi nuda verborum significatio varia, vel intentioni ac menti dicentis contraria apparet: vel si nudus sensus verborum, ut jacent, aliquid absurdum, iniquum, à recta ratione devians, & ab aliis legibus manifestè reprobatur innotuit, utique nudæ hujusmodi significationi non inhærendum, sed ad mentem, voluntatem, & intentionem dicentis, seu legislatoris ex ratione & fine legalisque circumstantiis colligendam necessariò, & prudenter recurritur juxta apertos Juris textus supra allegatos, quibus claris textibus cum textus apparenter duntaxat, non autem verè contrarii, in objectione positi, juxta responsum nostram facile concordari possunt, eos sic concordare, rationi & juri consonum est; Cum expediat concordare Jura Juribus, & eorum correctiones (si suscipi valeant) evitari. c. Cum expediat. 29 de Elect. in 6.

Finit Pontifex Bonifacius VIII. conditas à se Regulas Juris in Sexto illis verbis:

FINIS.



CAPUT

CAPUT TERTIUM,  
SEU APPENDIX,  
DE REGULIS JURIS  
CIVILIS.

Juxta promissum, in Frontispicio & Prooemio, subjungimus hic Appendicem; & Caput tertium de Regulis Juris Civilis pro compendiosa notitia præferim eorum, quibus Corpus Juris Civilis non semper ad manus est; Et quidem pro commodiori usu ponimus illas præ eo ordine, quo in Digestis Lib. 50. Tit. 17. posite sunt, dein etiam ordine alphabetico.

Sequuntur ergo Regulæ Juris Civilis eo ordine, quo in Jure, citato loco inveniuntur posite.

I.  
De Regula.

Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. Non ut ex Regula Jus sumatur, sed ex Jure, quod est, Regula fiat. Per Regulam igitur brevium rerum narratio traditur, & (ut ait Sabinus) quasi causæ conjectio est: quæ, simul cum in aliquo vitata est, perdit officium suum.

II.  
De Feminis. De Impubere.

Femine ab omnibus Officiis civilibus, vel publicis remotæ sunt: & ideo nec judices esse possunt, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere. I. Item impubes omnibus officiis civilibus debet abstinere.

III.  
Non nolle, velle.

Ejus est non nolle, qui potest velle.

Velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini.

IV.  
De Furioso & Pupillo.

In negotiis contrahendis alia causa habita est furiosorum, alia eorum, qui fari possunt, quamvis actum rei non intelligerent; nam furiosus nullum negotium contrahere potest: pupillus omnia, Tutore auctore, agere potest.

De eo, qui ad alium vult transferre hereditatem. Non vult hæres esse, qui ad alium voluit transferre hereditatem.

V.  
De Testato, & Intestato.

Jus nostrum non paritur eundem in paganis, & testato & intestato decessisse, earumque rerum naturaliter inter se pugnare est, testatus, & intestatus.

VI.  
De Jure Sanguinis.

Jura sanguinis nullo Jure Civili dirimi possunt.

VII.  
De obscuris.

Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.

VIII.  
De Commodis, & Incommodis.

Secundum naturam est, commoda cujusque rei cum sequi, quem sequentur incommoda. Reiffershuæ Jus Can. Tom. VI.

IX.  
De Translacione Domini.

Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

X.

De Interpretatione Testamentorum.

In testamentis plenius voluntates testantium interpretantur.

XI.

De Effectu Exceptionis.

Non videtur cepisse, qui per exceptionem à petitione remouetur.

XII.

De Die Obligationis.

In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præsentis die debetur.

XIII.

De effectu actionis.

Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.

XIV.

De imaginaria Venditione.

Imaginaria Venditio non est pretio accedente.

XV.

De Tempore.

Cum tempus in testamento adjicitur: credendum est pro hærede adjutum, nisi alia mens fuerit testatoris: sicut in stipulationibus promissoris gratia tempus adjicitur.

XVI.

De Acquisitione.

Quæ legata mortuis nobis, ad hæredem nostrum transeunt: eorum commodum per nos his, quorum in potestate sumus, eodem casu acquirimus: aliter atque quod stipulati sumus: nam & sub conditione stipulantes, omnimodo eis acquirimus, etiam si libertatis nobis potestate donini, conditio existat.

XVII.

De Conditione contrahentis. vel legatarii. De doli exceptione.

Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus: hæredi autem hoc imputari non potest, cum non ipse cum legatario contrahit. I. Non solet exceptio doli nocere his, quibus voluntas testatoris non refragatur.

XVIII.

De Favore Libertatis.

Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem.

libertatem respondendum erit.

21.

*De eo, quod est plus vel minus.*  
Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.

22.

*De Servis. i. De conditione in arbitrium domini, vel procuratoris ejus collata.*

In personam servilem nulla cadit obligatio. i. Generaliter probandum est, ubicunque in bonæ fidei iudiciis confertur in arbitrium domini vel procuratoris ejus conditio, pro boni viri arbitrio habendam esse.

23.

*De dolo, culpa, diligentia, & casu.*

Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt: quidam & dolum & culpam: dolum tantum depositum & precarium: dolum & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ negotia gesta in his quidam & diligentiam societas & rerum communio, & dolum & culpam recipit: sed hæc ita, nisi, si quid nominatim conventi, vel plus vel minus, in singulis contractibus: nam hoc servabitur, quod initio conventi, legem enim contractus dedit: excepto eo quod Cæsus putat, non valere, si convenit, ne dolo præstetur: hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium est: & ita utitur. Animalium verò casus, mortes, quæque sine culpa accidunt, fugæ fervorum, qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum à nullo præstantur.

24.

*De eo, quod interest.*

Quatenus cujus interest, in factis, non in jure consistit.

25.

*De Cautione.*

Plus cautionis in re est, quam in personâ.

26.

Qui potest invitis alienare, multò magis & ignorantibus, & absentibus potest.

27.

*De Pactis. De causis Obligationum. De modo actionum.*

Nec ex Prætorio, nec ex solenni Jure, privatorum conventionem quidquam immutandum est: quamvis obligationum causæ pactione possint immutari, & ipso jure, & per pacti conventum exceptionem: quia actionum modus, vel lege, vel per Prætozem inductus, privatorum pactionibus non infirmatur: nisi tunc, cum inchoatur actio, inter eos conventi.

28.

*De his, qui ex liberalitate conveniuntur.*

Divus Pius rescriptit, eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id, quod facere possunt condemnandos.

29.

*De eo, quod initio vitiosum est.*

Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.

30.

*De Nuptiis.*

Nuptias non concubitus, sed consensus facit.

31.

*De factis. De eo, quod est impossibile.*

Verum est, neque pacta, neque stipulationes factam posse tollere: quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere possit.

32.

*De Servis. De hominum æqualitate.*

Quod attinet ad Jus Civile, servi pro nullis habentur: non tamen & Jure naturali: quia quod ad Jus naturale attinet omnes homines æquales sunt.

33.

*De Actore, & Reo.*

In eo, quod vel is, qui petit, vel is, à quo petitur lucri facturus est, durior causa est petitoris.

34.

*De Interpretatione contractuum.*

Semper in stipulationibus, & in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est, aut si non appareat, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in Regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque Regionis mos appareat, quia varius fuit ad id, quod minimum est, redigenda summa est.

35.

*Quibus mobis tollitur obligatio.*

Nihil tam naturale est, quam eo genere quidve dissolvere, quo colligatum est: ideo verborum obligatio verbis tollitur, nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur.

36.

*De Culpa.*

Culpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti.

37.

*De Condemnatione, & Absolutione.*

Nemo, qui condemnare potest, absolvere non potest.

38.

*De hærede.*

Sicuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debeat: ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum pervenisset.

39.

*De eo, quod per alium fiat, quo minus fiat.*

In omnibus causis pro factis accipitur id, in quo per alium moræ fit, quo minus fiat.

40.

*De furioso & prodigo.*

Furiosis, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.

41.

*De actore & reo. i. De re obscurâ.*

Non debet actori licere, quod reo non permittitur. i. In re obscurâ melius est favore repetitioni, quam adventitio lucro.

42.

*De Ignorantia.*

Qui in alterius locum succedunt, justam habent causam ignorantæ, an id, quod peteretur, deberetur. Fidejussores quoque non minus, quam hærede justam ignorantiam possunt allegare. Hæc ita de hærede dicta sunt, si cum eo ageretur: non etiam, si agatur nam planè qui agit, certus esse debet: Cùm sit in potestate ejus, quando velit, experiri: & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere.

43.

*De concurrentibus defensionibus. i. Vel actionibus.*

Nemo ex his, qui negant, se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi lex impedit. i. Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una quis experiri debet.

44.

*De Hærede.*

Totiens in hæredem damus de eo, quod ad eum pervenit, quotiens ex dolo defuncti conveire non quotiens ex suo.

45.

*De Pignore, Deposito, Precario, Emptione, Locatione.*

*i. De Conventionibus.*

Neque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio reifixæ consistere potest. i. Privatorum Conventio Juri publico non derogat.

46.

46.

*De Pœna.*

Quod à quoquo pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur.

47.

*De Consilio. i. De Sociis.*

Consilii non fraudulenti nulla obligatio est: Cæterum si dolo & calliditas intercessit, de dolo actio competit. i. Socii mei focus, meus focus non est.

48.

*De calore iracundiæ. De Divorcio.*

Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam fit perventia apparuit, judicium animi fuisse: ideoque brevi reveria uxor, nec divortium videtur.

49.

*De Circumventione.*

Alterius Circumventio alii non probet actionem.

50.

Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.

51.

*Capere.*

Non videtur quisquam id capere, quod ei necesse est alii restituere.

52.

*Non defendere.*

Non defendere videtur, non tantum, qui latitat, sed & is, qui præsens negat se defendere, aut non vult succipere actionem.

53.

*De Solutione inhibiti.*

Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est.

54.

*De Jure translatio.*

Nemo plus Juris ad alium transferre potest, quam ipse habere.

55.

*De eo, qui suo jure utitur.*

Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.

56.

*De Dubiis.*

Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.

57.

*Ne bis exigatur.*

Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.

58.

*De peculio.*

Ex pœnalibus causis non solet in partem de peculio actio dari.

59.

*De hærede.*

Hæredem ejusdem potestatis, jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat.

60.

*Mandati.*

Semper, qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur. Sed & si quis ratum habuerit, quod gestum est, obstringitur mandati actione.

61.

*De restitutione domus.*

Domum suam restituere unicuique licet, dum non officiat invito alteri, in quo jus non habet.

62.

*De Hæreditate.*

Hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit.

63.

*De Mora.*

Qui sine dolo malo ad iudicium provocat, non videtur moram facere.

64.

*De his, quæ raro accidunt.*

Ea, quæ raro accidunt, non temere in agendis negotiis computantur.

65.

*De Cavillatione, seu Sorita.*

Ea est natura cavillationis, quam Græci foriten (id est *acervalem Syllogismum*) appellant, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quæ evidentem falsam sunt, perducatur.

66.

*De Exceptione.*

Marcellus: definit debitor esse is, qui nactus est exceptionem justam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

67.

*De Sermone ambiguo.*

Quotiens idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum excipitur, quæ rei gerendæ aptior est.

68.

*De Beneficiis.*

In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio: ibi deficiente eâ beneficium quoque deficiat: ubi verò genus actionis id desiderat, ibi ad quemvis persecutio ejus devenit, non deficiat ratio auxilii.

69.

*Invito Beneficium non datur.*

70.

*De potestate gladii, vel alterius coercionis.*

Nemo potest gladii potestatem sibi datam, vel cujus alterius coercionis ad alium transferre.

71.

*Quæ per libellum expediri non possunt.*

Omnia, quæcunque causæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt.

72.

*De Jure pignorandi.*

Fructus rei est vel pignori dare licere.

73.

*De tutela, & hereditate. 2. De Vi, & Clam. 3. De his, 4. Extranco coveri non posse, quæ in testamento intelligi non possunt.*

Quo tutela redit, ea hæretas pervenit, nisi cum femina hæredes intercedant. i. Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei, quem in suis hæredibus, cùm moritur, habuit, habiturum esset, si vixisset. 2. Vi factum id videtur esse, quæ de re quis, cùm prohibetur, fecit. Clam, quod quisque, cùm controversiam haberet, habiturum se putaret, fecit. 3. Quæ in testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint, perinde sunt, ac si scripta non essent. 4. Nec pacifcentio, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest.

74.

*Ne cui per alium iniqua conditio inferatur.*

Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

75.

*De mutatione consilii.*

Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam.

76.

*De his, quæ animi destinatione agenda sunt.*

In totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi vera & certa scientia perfici possunt.

77.

*De actibus legitimis. De tacito, & expresso.*

Actus legitimi qui recipiunt diem vel conditionem, velati mancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio Tutoris, in totum vitantur per temporis vel conditionis adjectionem: nonnunquam tamen actus supra scripti tacite recipiunt, quæ aperte

R 4

compre-

comprehensa vitium afferunt: Nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promissit, ita demum egisse aliquid acceptatio intelligitur, si obligationis conditio extiterit: quæ si verbis nominatim acceptationis comprehendatur, nullus momenti facit actum.

78.

*De fraude.*

Generaliter, cum de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per adversarium habere non poterit, considerandum est.

79.

Fraudis interpretatio semper in jure civili non ex eventu dantaxat, sed ex consilio quoque desideratur.

80.

*De genere, & specie.*

In toto Jure generi per speciem derogatur, & illud potissimum habetur, quod ad speciem directam est.

81.

De his, quæ dubitationis tollendæ causâ contractibus inferuntur.

Quæ dubitationis tollendæ causâ contractibus inferuntur, jus commune non lædunt.

82.

*De donatione.*

Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur.

83.

*De amissione.*

Non videntur rem admittere, quibus propria non fuit.

84.

Si amplius solutum sit, quam debebatur. 1. De naturali obligatione.

Cum amplius solutum sit, quam debebatur, cujus pars non invenitur, quæ repeti possit, totum esse indebitum intelligitur, inane est pristina obligatio. 1.) Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus.

85.

De Dote. 1. De his, quæ ad eum Casum pervenerunt, à quo non possunt initium capere. 2. Si æquitate desiderii naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur.

In ambiguis pro dotibus respondere, melius est. 1.) Non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, à quo initium capere non poterunt. 2.) Quotiens æquitate desiderii naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur, justis decretis res temperanda est.

86.

*De litis Contestatione.*

Non solet deterior conditio fieri eorum, qui litem contestati sunt, quam si non: sed plerumque melior.

87.

Nemo enim in persequendo deteriorem causam, sed meliorem facit. Denique post litem contestatam hæredi quoque prospiceretur, & hæres tenetur ex omnibus causis.

88.

*De mora.*

Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est.

89.

De successione ex testamento, vel ab intestato. Quamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimus non admittitur.

90.

*De æquitate.*

In omnibus quidem, maximè tamen in Jure æquitatis spectanda sit.

91.

*De Successione.*

Quotiens duplici jure defertur alicui successio, repudiatio novo jure, quo ante defertur, supererit vetus.

92.

*De errore librarii in transcribendo.*

Si librarius in transcribendis stipulationis verbis errasset; nihil nocere, quo minus & reus & fidejussor teneatur.

93.

*De possessione rei peculiaris.*

Filiusfamilias neque retinere, neque recuperare, neque adipisci possessionem rei peculiaris videtur.

94.

*De his, quæ abundant.*

Non solent, quæ abundant, vitare scripturas.

95.

*De eo, qui defenditur.*

Nemo dubitat, solvendo videri eum, qui defenditur.

96.

*De ambiguis orationibus.*

In ambiguis orationibus maximè sententia spectanda est ejus, qui eas protulisset.

97.

*De bonis deportati.*

Ea sola deportationis sententia aufert, quæ ad fiscum perveniunt.

98.

*De lucro.*

Quotiens utriusque causæ lucra ratio vertitur, is proferendus est, cujus in lucrum causa tempore præcedit.

99.

*De eo, qui ignorat, quantum solvere debeat.*

Non potest in probus videri, qui ignorat, quantum solvere debeat.

100.

Quibus modis contractus, vel obligatio tollitur. Omnia, quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt.

101.

*De duobus mensibus.*

Ubi lex duorum mensium fecit mentionem, & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus est: ita enim & Imperator Antoninus cum divo Patre suo rescriptit.

102.

Quid adversus edictum facere dicatur. 1. De actione deneganda.

Qui vetante prætore fecit, hic adversus Edictum fecisse propriè dicitur. 1. Ejus est actionem denegare, qui possit & dare.

103.

*Neminem de domo sua extrahi.*

Nemo de domo suâ extrahi debet.

104.

*De judiciis famosis, & pecuniariis.*

Si in duabus actionibus alibi summa major, alibi infamia est, præponenda est causa existimationis. Ubi autem æquiparant famosa judicia, & si summam imparem habent, pro paribus accipienda sunt.

105.

*De causæ cognitione.*

Ubiunque causæ cognitio est, ibi Prætor desideratur.

106.

*De libertate.*

Libertas inæstimabilis res est.

107.

*De Servo.*

Cum servo nulla actio est.

108.

*De Judiciis pœnalibus.*

Fere in omnibus pœnalibus judiciis & ætati & imprudentiæ succurritur.

Nemo alieno nomine lege agere potest. 1. Temporalia permutatio jus Provincie non innovat.

124.

*De Muto, Surdo. 1. Furioso.*

Ubi non voce, sed presentia opus est, mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo: hic quidem respondere potest. 1. Furiosus absentis loco est: & ita Pomponius libro primo epistoliarum scribit.

125.

*De actore, & reo.*

Favorabiliores rei potius, quam actores habentur.

126.

De eo, qui pretium numeravit. 1. De acquisitione liberi. 2. De Petitore, & Possessore.

Nemo prædo est, qui pretium numeravit. 1. Locupletior non est factus, qui libertum acquisierit. 2. Cui de lucro duorum queratur, melior est causa possidentis.

127.

De hærede convento in id, quod ad eum pervenit. Cum prætor in hæredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit: sufficit, si vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti.

128.

De Petitore, & Possessore. 1. De Successoribus.

In pari causa, Possessor potior haberi debet. 1. Hi qui in universum jus succedunt, hæredis loco habentur.

129.

De eo, qui suum recipit. 1. De Principali & accessorio.

Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit. 1. Cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

130.

*De concurrentibus actionibus.*

Nunquam actiones, præteritæ pœnales, de eadem re concurrentes, alia altam consumunt.

131.

*De eo, qui dolo desit possidere.*

Qui dolo desit possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessione dolus est.

132.

*De Imperitiis.*

Imperitia culpæ adnumeratur.

133.

*De Servis.*

Melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest.

134.

Quomodo creditores fraudantur. 1. De Delicto.

Non fraudantur creditores, cum quid non acquirunt à debitore, sed cum quid de bonis diminuitur. 1. Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.

135.

De his, quæ dari non possunt, vel in rerum natura non sunt.

Ea, quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur.

136.

De bona fide possidentis, & de veritate. Bona fides tantundem possidenti præstat, quantum veritas, quotiens lex impedimento non est.

137.

Qui auctore Judice comparavit, bonæ fidei possessor est.

138.

De aditione cum tempore mortis continuanda. 1. De assumptione delicti.

Omnibus hæreditas, quamvis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. 1. Nunquam crescit ex post facto præteriti delicti æstimatio.

139.

109. De eo, qui non prohibet. Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non potest.

110.

De eo, quod est plus vel minus. 1. De expromissore alienæ rei. 2. De pupillo. 3. De verbis non conjunctis. 4. De mulieribus.

In eo, quod plus sit, semper inest & minus. 1. Nemo alienæ rei expromissor idoneus videtur, nisi si cum satisfactione. 2. Pupillus potest esse non intelligitur. 3. Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. 4. Mulieribus tunc succurritur, cum defendantur, non ut facilius calumniantur.

111.

De pupillo. 1. De hæredes, de actionibus pœnalibus. Pupillum, qui proximus pubertati sit capacem esse & furandi, & injuriæ faciendæ. 1. In hæredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio; veluti furti, damni, injuriæ, vi bonorum raptorum, injuriarum.

112.

De actione non competente. De Exceptione. Nihil interest ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

113.

*De Toto, & Parte.*

In toto & pars continetur.

114.

*De obscuris.*

In obscuris inspicit solet, quod verifimilius est, aut quod plerumque fieri solet.

115.

Qui videtur cepisse, seu accepisse. Si quis obligationem liberatus sit, potest videri cepisse. 1. Non potest videri accepisse, qui stipulatus potest exceptione summoveri.

116.

De consensu, vi, metu. 1. De eo, qui jus publicum sequitur. 2. De consensu, & errore.

Nihil consensui tam contrarium est, qui bonæ fidei judicia sustinet, quam vis, atque metus: quem comprobare contra bonos mores est. 1. Non capitur, qui Jus publicum sequitur. 2. Non videntur, qui errant, consentire.

117.

*De bonorum possessore.*

Prætor bonorum possessorem hæredis loco in omni causa habet.

118.

*De usucapione, & possessione.*

Qui in servitute est, usucapere non potest: nam cum possideatur, possidere non videtur.

119.

*De alienatione.*

Non alienat, qui duntaxat omittit possessionem.

120.

*De herede.*

Nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quam ipse habuit.

121.

De eo, qui non facit quod facere debet, vel facit quod facere non debet. Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit. Et qui facit quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere justus est.

122.

*De libertate.*

Libertas omnibus rebus favorabilior est.

123.

An quis pro alio lege agere possit. 1. De temporaria permutazione.

139.  
*De actionibus perpetuandis. 2. De eo, quod auferri potest.*

Omnis actio, quae morte aut tempore pereunt, semel inclusae iudicio, saluae permanent. 1. Non videtur perfecte cuiusque id esse, quod ex causa auferri potest.

140.  
*De absentia Reipublicae causae.*  
Absentia ejus, qui Reipublicae causa abest, neque ei, neque alii damnosa esse debet.

141.  
*De Jure singulari. 1. De hereditibus.*  
Quod contra rationem Juris receptum est, non est producendum ad consequentiam. 1. Uni duo pro solidum haeredes esse non possunt.

142.  
*De eo, qui tacet.*  
Qui tacet, non utique fatetur: Sed tamen verum est, eum non negare.

143.  
*De contrahentibus, & eorum successoribus.*  
Quod ipsis qui contraxerunt, obstat & successoribus eorum obstat.

144.  
*De licito & honesto. 1. De tempore in stipulationibus spectando.*  
Non omne, quod licet, honestum est. 1. In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

145.  
*An quis fraudari dicatur.*  
Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt.

146.  
*De eo, quod quis egit ante libertatem.*  
Quod quis, dum servus est, egit, proficere libero factio non potest.

147.  
*De generalibus & specialibus.*  
Semper specialia generalibus insunt.

148.  
*De eo, cujus effectus omnibus prodest.*  
Cujus effectus omnibus prodest, ejus & partes ad omnes pertinent.

149.  
*De lucro ex persona alterius.*  
Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum praestare debet.

150.  
*De eo, qui possidet, vel habet, aut dolo desit possidere, vel habere.*  
Parem esse conditionem oportet ejus, qui quid possidet, vel habet, atque ejus, cujus dolo malo factum sit, quo minus possideret, vel haberet.

151.  
*De damno.*  
Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet.

152.  
*De Vi. 1. De Mandato. 2. De Ratihabitione. 3. De haerede.*

Hoc jure utitur: ut quidquid omnino per vim fiat, aut in vis publicae, aut in vis privatae crimen incidat. 1) Desit, & qui mandat. 2) In maleficio ratihabitione mandato comparatur. 3) In contractibus, quibus doli praestatio vel bona fides inest, haeres in solidum tenetur.

153.  
*De obligatione, liberatione, acquisitione, amissione, & possessione.*

Fere, quibuscumque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis acquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. Ut igi-

tur nulla possessio acquiri, nisi animo & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque contrarium actum.

154.  
*De petitore, & possessore. De dolo. De pana.*  
Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa, sicut fit, cum de dolo excipitur petitoris: neque enim datur talis replicatio petitori, Aut si rei quoque in ea re dolo actum sit. 1) Illi debet permitti poenam petere, qui in ipsam non incidit.

155.  
*Cui factum nocet. 1. De eo, qui jura suo utitur. 2. De causis penalibus.*  
Factum cuique suum, non adversario nocere debet. 1) Non videtur vim facere, qui jure suo utitur, & ordinaria actione experitur. 2) In penalibus causis benignius interpretandum est.

156.  
*Invitum non defendere. 1. De actione, & exceptione. 2. De eo, qui in alterius locum successit. 3. De auctore, & emptore. 4. De invito.*

Invitus nemo rem cogitur defendere. 1. Cui damus actiones, eidem & exceptionem competere multo magis quis dixerit. 2. Cum quis in alio locum successerit, non est aequum, ei nocere hoc, quod adversus eum nocuit, in cuius locum successit. 3. Plerumque emptoris eadem causa esse debet circa petendum ac defendendum, quae fuit auctoris. 4. Quod cuique pro eo praestatur, invito non tribuitur.

157.  
*De servo. 1. De eo, qui dolo fecit, quo minus haberet. 2. De successoribus.*

Ad ea, quae non habent atrocitatem facinoris vel sceleris, ignoscitur servis, si vel dominis, vel his, qui vice dominorum sunt (veluti tutoribus & curatoribus) obtemperaverint. 1) Semper, qui dolo fecit, quo minus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet. 2) In contractibus successores ex dolo eorum, (quibus successerunt) non tantum in id, quod pervenit, verum etiam in solidum tenentur, hoc est, unusquisque pro ea parte, qua haeres est.

158.  
*De Pignore.*  
Creditor, qui permittit rem venire, pignus demittit.

159.  
*Differentia obligationis, & Domini.*  
Non ut ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem potest nostrum esse.

160.  
*Differentia inter vendere, & vendenti consentire.*  
1. De eo, quod fit per majorem partem. 2. De jure legatarii.

Aliud est vendere, aliud vendenti consentire. 1) Refertur ad universos, quod publicae fit per majorem partem. 2) absurdum est, plus juris habere eum, cui legatus sit fundus, quam haeredem, aut ipsum testatorem, si viveret.

161.  
*De eo, per quem factum est, quo minus conditio impletur.*

In jure civili receptum est, quotiens per eum, cuius interest conditionem non impleri, fiat, quo minus impletur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset, quod ad libertatem, & legata, & ad haeredum institutiones perducitur: quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cum per promissorem factum esset, quo minus stipulator conditioni pareret.

162.  
*De receptis propter necessitatem.*  
Quae propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.

163.  
*De donatione, venditione, concessione.*  
Cujus est donandi, eidem & vendendi, & concedendi jus est.

164.  
*De hereditibus, & iudiciis penalibus.*  
Penalia iudicia, semel accepta, in haeredes transmitti possunt.

165.  
*De eo, qui alienat, vel alienari consentit.*  
Cum quis possit alienare, poterit & consentire alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec si donationis causa confenserit, ratam ejus voluntatem habendam.

166.  
*De defensore rei alienae.*  
Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

167.  
*De his, quae accipientis non sunt. 1. De jussu Judicis.*  
Non videntur data, quae & tempore, quo dantur, accipientis non sunt. 1. Qui jussu Judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere necesse habet.

168.  
*De obscuris.*  
Rapienda occasio est, quae praebet benignius responsum. 1. Quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cuiusque capit interpretationem.

169.  
*De damno. 1. De eo, quod pendet.*  
Is damnum dat, qui jubet dare: ejus vero nulla culpa est, cui parere necesse sit. 1. Quod pendet, non est pro eo, quasi sit.

170.  
*De factis a Judice.*  
Factum a Judice, quod ad Officium ejus non pertinet, ratum non est.

171.  
*De Obligatione.*  
Nemo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio quod praestiterit.

172.  
*De ambiguis.*  
In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. 1. Ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva auctori sit.

173.  
*De his, qui condemnantur in id, quod facere possunt. 1. De Restitutione. 2. De mora. 3. De eo, qui petit, quod redditurus est.*

In condemnatione personarum, quae in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant. 1) Cum verbum Restitui lege invenitur, etsi non specialiter de fructibus additum est, tamen etiam fructus fundi restituendi. 2) Uniuscuique sua mora nocet: quod & in duobus reis promittenti observatur. 3) dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

174.  
*Passive. 1. De repudiatione.*  
Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur. 1. Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest.

175.  
*De Servis. 1. De eo, qui in jus alterius succedit.*  
In his, quae officium per liberam fieri personas leges desiderant, Servus intervenire non potest. 1. Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transit.

176.  
*Nesingulis concedatur, quod per Magistratum publice fieri potest. 1. De libertate, & necessitudine.*

Non est singularis concedendum; quod per Magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. 1. Infinita aestimatio est libertatis, & necessitudinis.

177.  
*De eo, qui in jus alterius suae cedit. 1. De ignorantia.*  
Qui in Jus, dominiumve alterius succedit, Jure ejus uti debet. 1. Nemo videtur dolo exequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere.

178.  
*De principali & accessorio.*  
Cum Principalis causa non consistat plerumque ne ea quidem, quae sequuntur, locum habent.

179.  
*De obscura voluntate manumittentis.*  
In obscura voluntate manumittentis favendam est libertati.

180.  
*De eo, qui jussu alterius solvit.*  
Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset.

181.  
*Si nemo adierit ex testamento.*  
Si nemo subit haereditatem, omnis vis testamenti solvitur.

182.  
*De eo, quod nullius esse potest.*  
Quod nullius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.

183.  
*De solemnibus non facile mutandis. De aequitate.*  
Etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus: tamen, ubi aequitas evidens poscit, subvertendum est.

184.  
*De vano timore.*  
Vani timoris justa exculatio non est.

185.  
*De impossibilibus.*  
Impossibile nulla obligatio est.

186.  
*Quando peti potest.*  
Nihil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolvi possit. Et cum solvendi tempus, obligationi additur, nisi eo praeterito, peti non potest.

187.  
*De eo, qui uxorem praegnantem reliquit.*  
Si quis praegnantem uxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse.

188.  
*Si testator pugnantia gesserit. 1. De impossibilibus.*  
Ubi pugnantia inter se in testamento juberentur, neutrum ratum est. 1. Quae rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt.

189.  
*De pupillo, & autoritate Tutoris.*  
Pupillus nec velle, nec nolle in ea aetate, nisi adposita Tutoris autoritate, creditur: nam quod animi iudicio sit, in eo Tutoris auctoritas necessaria est.

190.  
*De evictione.*  
Quod evincitur, in bonis non est.

191.  
*De beneficio Principis.*  
Neratus contractus, an, quod beneficium dare se, quasi viventi Caesar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur? Respondit, non videri sibi Principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse; quem tamen modum esse beneficium sui velle, ipsius aestimationem esse.

192.  
*De hereditibus & obligatione individua. 1. De re dubia.*

Ea, quae in partes dividi non possunt, solida singularis

gulis hæredibus debentur. 1) In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus iustus est, quàm tutius.

193.

*De aditione cum tempore mortis continuandâ.*

Omnia fere jura hæredum perinde habentur, ac si continuò sub tempore mortis hæredes exissent.

194.

*De hæredibus hæredum.*

Qui per successione, quamvis longissimam, defuncto hæredes constituerunt, non minus hæredes intelliguntur, quàm qui principaliter hæredes exsunt.

195.

*De expressis & tacitis.*

Expressa nocent, non expressa non nocent.

196.

*De Privilegiis.*

Privilegia quædam causæ sunt, quædam personarum: & ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt: quæ personarum sunt, ad hæredem non transeunt.

197.

*De conjunctionibus. De licito & honesto.*

Semper in conjunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed & quid honestum sit.

198.

*De dolo Tutoris.*

Neque in interdico, neque in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum Tutoris, sive solvendo est, sive non est.

199.

*De eo, qui imperio Magistratus non paruit.*

Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit.

200.

*De minori iniquitate eligenda.*

Quotiens nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis.

201.

*De his, quæ ex testamento proficiuntur.*

Omnia, quæ ex testamento proficiuntur, ita

statum eventus capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint.

202.

*Definitiones esse periculosas.*

Omnis definitio in jure civili periculosa est; parum est enim, ut non subverti possit.

203.

*De damno & culpa.*

Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.

204.

*De actione.*

Minus est actionem habere, quàm rem.

205.

*De his, quæ à nobis abire possunt.*

Plerumque fit, ut etiam ea, quæ à nobis abire possunt, proinde in eo statu sint, atque si non essent ejus conditionis, ut abire possent: & ideo, quod fisco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & servitutem in prædio imponere possumus.

206.

*Ne quis lucretur cum jactura alterius.*

Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorum.

207.

*De re judicata.*

Res judicata pro veritate accipitur.

208.

*Desinere habere.*

Non potest videri desisse habere, qui nunquam habuit.

209.

*De servitute.*

Servitutem mortalitati fere comparamus.

210.

*De Institutione.*

Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facte convalescere non potest.

211.

*De Servo, & absentia Reipublicæ causa.*

Servus Reipublicæ causa absesse non potest.



# REPERTORIUM GENERALE

*Rerum & Verborum omnium*

IN VI. TOMIS

OPERUM CANONIC. R. P. F. ANACLETI  
REIFFENSTUEL,

Nempe Quinque in V. Lib. Decretalium, & Sextum de  
Regulis Juris, contentorum.

*Explicatio Abbreviationum.*

Littera P. denotat *Proœmium*, T. *Titulum*, N. *Numerum*, A. *Appendicem*, pro quinque libris Decretalium; Quando verò Lib. *de Regulis Juris* agitur, Littera C. denotat *Caput*, R. *Regulam*, N. *Numerum* materiæ in quavis Regula.

*Numeri marginales 1.2.3.4.5. Tomos Decretalium, Litteræ R.J. Tractat. de Regulis Juris indicant.*

A.

A B O R T U S.

1. **A** Distio quando fiet exclusivè, vel inclusivè?  
T. 9. n. 74.

ABBAS. ABBATES, ABBATISSA.

1. Abbas potest eligi in Episcopum. *Tit. 5. num. 53.*  
Inter Abbates perpetuos & Ecclesiam, contrahitur quasi conjugium Spirituale. *Tit. 6. num. 111.* Abbates perperui, aliique Superiores Regulares, an sint eligendi secundum formam in c. Quia propter, de Elect. præscriptam? T. 6. num. 336. & seqq. In electione Abbatum perpetuorum potest indubitanter procedi per viam compromissi, n. 349. Abbates ex privilegio Papæ possunt conferre ordines minores, T. 13. num. 14. & 15. Hæc potestas non est annexa jure divino Benedictioni Abbatiali, num. 16. Utrum etiam possint conferre ordines Sacros? n. 17. & seqq. Abbatæ præficiendus, debet esse, vel intrâ annum fieri Presbyter. T. 14. n. 12. Antiquitùs tamen Abbates poterant esse non Presbyteri. num. 13. Idem ob necessitatem, atque utilitatem Ecclesiæ, etiam hodie potest fieri dispensativè, n. 14. Et an in tali casu possit dispensare Episcopus? num. 15. Abbas benedictus potest conferre ordines minores etiam subditis Episcopi de hujus licentia, T. 29. num. 87. Abbates an cogantur venire ad Synodum? T. 31. num. 102.

2. Abbas exemptus, an possit contrâ Episcopum præscribere certam Parochiam? T. 26. n. 56.

3. Abbates non possunt consecrare Calices, T. 40. n. 43. nec benedicere Campanas, n. 48.

1. Abbatissa, an sit eligenda à duabus partibus Monialium? T. 6. n. 150. Abbatissa nequit excommunicare propter inobedientiam sibi subjectas, nec Clericos strictè suspendere, *Tit. 33. n. 37.* Potest tamen implorare officium Superioris, ut ipse tales excommunicet, aut suspendat, n. 37.

A B I G E A T U S.

5. Abigeatus, Abigeus quis? T. 18. n. 60. Pœna illius, *ibid.*

*Anacleti Reiffenstuel Repertorium.*

5. Abortus, quas pœnas habeat, si fœtus jam fuit animatus? T. 10. num. 13. Et quas si fuit inanimatus? n. 14. Gravissimæ pœnæ contrâ procurantes directè, vel indirectè abortum, juvantes item & consulentes, statutæ sunt per Sixtum V. nu. 15. Cujus Bulla per extensum referitur, nu. 16. Quæ fuit moderata per Bullam Gregorii XIV. n. 17. Quæ referitur per extensum, n. 18. Referuntur in compendio pœnæ contrâ directè, vel indirectè procurantes abortum fœtus animati, & consulentes ac juvantes ad illum, n. 19. Quorum aliquæ obligant antè, aliquæ post sententiam Judicis. Et quæ, n. 21. & seqq. Doctrina practica, quàm miseri sint Clerici, quovis modo abortum fœtus animati procurantes, vel ad eum juvantes, consulentes, num. 25. Dispensare in pœnis abortus, quis possit? n. 22.

A B R O G A T I O.

1. Abrogatio legis, quid, & quomodo differat à derogatione, & irritatione legis? T. 2. nu. 484. & 485.

ABSENS, ABSENTE, ABSENTIA.

3. Absens, quando dici possit invigilare gregi? T. 4. num. 12.

Absentes Canonici in quibus casibus debeant vocari ad Capitulum? T. 11. num. 10. & in quibus censentur præsentis ad lucrandas præsentias? T. 4. nu. 185. & seqq.

1. Absentes, an & quando sint vocandi ad electiones? T. 6. n. 118. & seqq. Quoad hoc est attendenda consuetudo locorum, nu. 118. & 119. Absens, qui fecit vacationem Ecclesiæ, & diem electionis, ulterius non est necessariò citandus, num. 117. Si absentes commodè vocari non possint, putà ob periculum ex mora imminens Ecclesiæ, possunt & debent alii procedere ad electionem, n. 119.

4. Absentia unius, an & quando solvat sponsalia? T. 1. n. 212. & seqq.

A B S O L U T I O.

1. Absolutio à censuris ad cautelam, quid operetur? *Tit. 3. n. 53.* Absolutio ab excommunicatione primùm